



Nf. 23.







PRO-RECTOR  
 ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
 IVSTVS HENNINGIVS  
 BOEHMER,

ICTVS, POTENTISSIMI REGIS PORVSSIAE CONSILIAR.  
 INTIMVS ET IVRIVM PROFESSOR ORDINARIVS,

VNA CVM

DIRECTORE, CANCELLARIO ET PROFESSORIBVS  
 RELIQVIS

AD  
 ΘΕΟΦΑΝΙΑ,

SIVE

SACRA NATALITIA  
 IESV CHRISTI  
 DIGNE CELEBRANDA

CIVES ACADEMICOS *h.*  
 PERHVMANITER INVITAT.



**B**enedictus sit **DOMINVS**, **Deus** **Israëlis!**  
quia *visitauit & liberationem fecit populo suo: dum erexit cornu salutis nobis in domo Davidis, serui sui.* Cur enim non liberet nobis, *Carissimi Cives!* ab his verbis *παραχρησιν* nostram ordiri, quibus Zacharias, pater Ioannis Baptistæ, Spiritu S. repletus, nouam & admirandam filii sui natiuitatem dedicauit? Luc. 1, 68. 69. Si enim laudandus est **DEVS** propter *serui* natiuitatem; quanto æquius est, vt propter **FILII** natiuitatem summis laudibus a nobis celebretur? Et si natalitius *præcursoris* dies magna obseruatione commendatus est; quanto magis natalitius **IESV CHRISTI**, ad cuius testimonium ille præcesit, omni veneratione dignus habendus erit? Tanto igitur iustius nunc dicimus: **Benedictus sit DOMINVS, DEVS Israëlis!** quanto excellentior est **CHRISTVS**, dominus, seruo suo. Quid enim non boni Christi natiuitate nobis contigit, & quibus a malis hac exoptissima natiuitate non liberati sumus? *Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo fuerunt, prophetarum suorum; salutem nimirum ex hostibus nostris, & e manu omnium oratio habentium nos: ad faciendum misericordiam cum patribus nostris, & ad recordandum fæderis sancti sui: Ius iurandum, quod iurauit Abrabamo, patri nostro, daturum se nobis, vt sine timore, e manu hostium nostrorum erepti, seruiamus ipsi in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus vite nostre: vt in sequentibus, vsque ad verbum 72. sancti Senis verba habent. Hinc postquam ille porro in versu 76. & sequ. nato filio Io Præcursoris officium gratulatus esset. Tu vero, inquit, puelle, propheta *Altuismi* vocaberis; præcibus namque ante faciem **DOMINI** ad parandum vias ipsius, ad dandam scientiam salutis populo ipsius, in remissione peccatorum ipsorum: mox v. 78. & sequ. hæc & alia cum iis coniuncta beneficia in solidum diuinæ misericordiæ transferibit, nec tam ex nato sibi filio, quam ex nascendo mundi Seruatore gaudii plenus, ita suum hymnum concludit: *Διὰ σπλάγχνα ἐλέος Θεῶ ἡμῶν, ἐν οἷς ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, ἐπιφανῆσαι τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου καθήμενοις, τῷ κατευδύναι τῆς σόδατος ἡμῶν εἰς ὄδον εἰρήνης.**

Non

Non fert hoc præfens institutum, ut eximium Zacharias canticum hic integrum percenseamus, in quo alioquin omnia archifine, & catenæ infar, cohærent; perlustrabimus itaque tantum vltima verba, quæ modo Græce attulimus, & Latine ita habent: PER VISCEA MISERICORDIÆ DEI NOSTRI; IN QUIBUS NOS VISITAVIT ORTVS EX ALTO: VT ADPAREAT (SEU ILLVESCANT) IIS, QUI IN TENEBRIS SEDENT ET IN VMBRA MORTIS, ET AD DIRIGENDVM PEDES NOSTROS IN VIAM PACIS.

Tres vel quatuor etiam propositiones Logicæ in his verbis occurrunt, quarum singulæ gravissima momenta pandunt, & omnes ferme salutis nostræ causas nobis explicant. Prima earum, *Per viscera misericordiæ Dei nostri*, incompleta quidem in se, & ex antecedentibus integranda est; in quibus agitur de *scientia salutis nostræ*, formaliter consistentis in *remissione peccatorum*, ex imputata nobis CHRISTI iustitia per fidem, coll. Act. X, 43. Rom. III, 22-25. c. IV, 3, 5, 8. cet. quæ per ministerium Ioannis Iudaico populo *danda* & *adnuntianda* erat. Ipsa vero hæc propositio, sicuti *efficientem* salutis nostræ *causam principalem*, DOMINVM ac Deum nostrum, יהוה אלהים, אלהי ישראל vnum illum essentia *Iehouam*, personis autem *irinum Deum*, ceu *Deum Israël*, v. 68. Deut. VI, 4. Ps. LXXII, 18. coll. Gen. I, 26. c. III, 17. c. XI, 7. c. XVI, 7. 10. 13. c. XIX, 18. 24. c. XX, 13. c. XXII, 11. 15. 16. c. XXXII, 30. 31. c. XLVIII, 15. 16. cet. diserte indicat; ita non minus etiam causam eius *impulsivam internam* significantissime exprimit: nimirum ingentem illam & imperferutabilem Dei misericordiam erga miseros mortales, qua, sec. nostrum concipiendi modum, motus ille fuit, vt ad procurandam nobis salutem, conferre illud omne voluerit, quod suum erat. Non enim simpliciter Zacharias ait, *per misericordiam*, sed *per viscera misericordiæ Dei nostri*, δια σπλάγχνα ἐλέως, Syr. כרחמי ברחמי, vt intimam, & in ipsis quasi visceribus Dei nostri hærente misericordiam significaret: a qua, αἰς ἑκατων δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ, Eph. I, 6, ille non solum ὁ πατὴρ τῶν οὐκ ἐπιγεμῶν, *Pater miserationum*, 2. Cor. I, 3, item πολὺ σπλάγχμα καὶ οὐκ ἐπιγεμῶν, *intima misericordia abundans & miserator*, lac. V, 11. &c. sed etiam רחום רחום *Misericors atque Gratosus*, velut epithetis, sibi soli non minus, quam *Omniscii*, *Omnipotentis* cet. nominibus, proprii passim in Scriptura Vet. Testamenti prædicatur. Vide

e. c. Exod. XXII, 25. c. XXXIV, 6. Deut. IV, 31. Ioel II, 13. Ion. IV, 2. Pf. LXXVIII, 38. cet. Sic enim DEVS dilexit mundum, ut Filium illum suum unigenam daret, ut omnis qui credit in eum, non periret, sed vitam eternam haberet, Io. III, 16. idque ad demonstrationem iustitiæ suæ in presenti tempore: ut esset ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide IESU, Rom III, 26. coll. c. V, 8. seqq.

Altera propositio in verbis: ἐν οἷς ἐπέσκησεν ἡμᾶς ἀνατολὴ ἕξ ὄψεως, in quibus visceribus misericordiæ Dei nostri visitavit nos ortus ex alto; sicuti per relatiuum cum præcedenti propositione cohæret, eiusque sententiam confirmat: ita etiam causam salutis nostræ externam principalem, eamque vnicę meritoriam, CHRISTVM nimirum, æternum & summum DEI filium, nec minus hominem, ex matre virgine proxime nascendum, nobis commendat. Οὐ γὰρ διὰ τὰ ἔργα ἡμῶν. ἔ γάρ ἐποιήσαμεν τι ἀγαθόν. Non enim propter nostræ opera ita factum est: nec enim boni quid homines feceramus; vt recte Theophylactus agnoscit ad h. l. Neque etiam merito circumcisionis aut sacrificiorum Iudaicorum, nec merito alicuius honestatis ciuilibus inter gentes, tanta beneficia nobis contigerunt. Etsi enim illa suam habeant dignitatem in suo genere; tanti tamen apud Deum nunquam fuerunt, vt propter ipsa in nos conferret ingens illud beneficium remissionis peccatorum; vel, vt nos etiam, natura filios iræ & hostes DEI, morti & perpetuis tenebris obnoxios, Saluator, velut Sol iustitiæ, visitaret. Notanda vero hic tria sunt: α) singularis Saluatoris nostri adpellatio, β) eiusdem beneficium, siue gratiosa visitatio, & γ) obiectum personale seu finis CVI, h. e. illi, quibus hoc beneficium destinatum fuit.

De adpellatione, qua Redemptor noster ἀνατολὴ ἕξ ὄψεως siue Ortus ex alto dicitur, interpretes, etiam docti, non idem sentiunt. Ita enim diligentissimus suo tempore Scripturæ S. scrutator Matth. Flacius in Clauæ Scripturæ p. 819. scribit: De loco Luc. I, 78. maxime dubitari ac disputari a scriptoribus solet, quomodo vertendum ac intelligendum sit, quod ibi legitur: Propter viscera misericordiæ Dei nostri, quibus respexit nos oriens ex alto; vt illucescat iis, qui in tenebris & umbra mortis positi sunt. Alii enim vertunt Oriens, alii Germen, idque varie exponunt; plerique tamen de Christo intelligunt, quem putant Orientem aut Germen vocari. Posset autem forte rectius dici, quod illud inuisi-



fit aut respexit referatur ad præcedens Deus, qui dicitur per viscera misericordie dare salutem; qua sua misericordia aut beneficio nos inuiserit. Quod si verbum eo referas, tum Oriens, ἀνατολή nomen substantivum erit; vel pro adiectivo vel pro participio accipiendum, quorum virumque est Hebræis usitatisimum: ut dicatur Deus, per misericordiam suam veniens aut progressus ex alio, nos respexisse; veluti si Sol oriatur, ac homines sua læta salutari- que facie inuisat. Hactenus verba Viri docti, cuius tamen sententia sequenda non est. Neque enim ad alium, quam ad CHRISTVM; hunc Ortum ex alio referendum esse, & συνάφεια textus nostri, & Scripturæ V. ac N. Testamenti concentus clare euincit. Ac licet plures etiam sunt, qui ambiguitate vocis ἀνατολή, qua ortum & lucis & germinis significare potest, inducti Zachariam vel Lucam euangelistam, ea adpellatione ad loca Zach. III, 8. c. VI, 12, Ier. XXIII, 5. vbi Christus Hebr. קומץ siue GERMEN dicitur; quod Græci Interpretes, forte ex vsu Syr. קומץ Splendere, ἀνατολήν reddiderunt; rectius tamen omnino B. Sal. Glasius Philol. S. p. m. 1480. & 1617. seq. animaduertit, epitheton id esse Filii Dei incarnati, desumptum ex iis V. T. locis, quibus Iesus Christus Soli & Lumini confertur; e. c. Ies. IX, 1. Homines, qui incedebant in tenebris, viderunt lucem magnam: quod attinet ad eos, qui sedebant in terra umbra mortis, אור נגה עליהם Lumen effulsit s. splendide exortum est super eis. Quæ verba Matthæus, diuinus interpres, euangelii sui c. IV, 16. ita expressit: ὁ λαὸς καθήμενὸς ἐν σκότει, εἶδε φῶς μέγα, καὶ τοῖς καθήμενοις ἐν χάρα καὶ σκιᾷ θανάτου, φῶς ἀνέτειλεν αὐτοῖς. adde Ies. X, 17. c. XLII, 6. 7. c. XLIX, 6. c. LI, 4. c. LX, 1. 3. item Mal. III, 20. (al. IV, 2.) & plura loca, ex quibus & adpellatio & ratio ortus, velut Solis iustitiæ, de Christo patet. Sicuti quum pleno iubare Sol oritur: καὶ φῶς ἡ ἀνατολή τῆς ἡλίου ἐν δυναστείᾳ. vt Græci habent Iud. V, 31. Confentit nobiscum ex veteribus Theophylactus ad h. l. Ἐκείνῳ ἐπισημειώσατο ἡμᾶς ἐξ ὕψους, ἀνατολή λεγόμενῳ ἡλίου ὅτι δικαιοσύνης ἐστὶ καὶ ἐπέφανεν ἡμῖν, τοῖς ἐν σκότει, τετέστι τῇ ἀγνωσίᾳ, καὶ τῇ σκιᾷ τῆς θανάτου, τετέστι τῇ ἀμαρτίᾳ καθήμενοις. Accedit, quod in nostro loco statim sequitur verbum ἐπιφάνει, vt adpareat vel illucescat: quod, sicuti de lumine naturali Act. XXVII, 20. vel diuinæ gratiæ, Tit. II, 11. c. III, 4. & apud Græcos in V. T. passim vsurpatur; ita de Germine vix adhibitum inuenies.

Porro obseruandam esse diximus beneficam Christi *visitationem* in verbo *ἐπισκέψατο*, coll. v. 68. Luc. VII, 16. quemadmodum populum tuum, olim in Aegypto oppressum, ipse etiam *visitauit* Exod. III, 16. c. IV, 31. ceu pastor & custos Israelis, Pl. LXXX, 2. & CXXI, 4. ac *ἐπισκοπος* animarum, 1. Pet. II, 25.

Obiectum autem personale teu *finis CVI* in hac propositione vnico pronomine *ἡμᾶς*, *NOB*, pluribus vero in sequentibus explicatur: vt illucescat *is, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent*. Quibus verbis Zacharias respicit ad vaticinium Iesaja c. LX, 1. paullo antea nobis allegatum; vbi, per contextum Prophetæ, & *Ἰερωνυμῶ* Euangelistæ interpretationem, proxime quidem Galilæi homines, Zabulonitæ & Nephthalitæ, intelligendi sunt; nec minus tamen etiam, sec. nostrum & alia Scripturæ loca, ceteri quoque Iudæi & omnium gentium homines. Gratiouse nimirum Sol iustitiæ nos *visitauit*, quotquot ex lapsu Adamo genus ducimus, & reatu ac iræ diuinæ ex vniuersali corruptione ac culpa nostra obnoxii sumus. *Neque enim*, si ad DEVM & diuina spectes, vlla inter mortales, licet aliquin ingenio, moribus ac conditione dissimillimos, *differentia datur; sicut scriptum est: Non est iustus, ne vnus quidem. Non est, qui intelligat; non est, qui exquirat Deum. Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt. Non est, qui faciat bonum; non est, vsque ad vnum. Sepulcrum apertum est guttur eorum, linguis suis ad dolum viuunt, venenum aspidum sub labiis eorum: quorum os diris & amarulentia plena est. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: contritio & calamitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt. Non est timor Dei coram oculis eorum. Scimus autem, quæcumque Lex dicit, is qui in lege sunt dicere, vt OMNE OS OBTVRETVR, ET OBNOXIVS FIAT TOTVS MVNDVS CONDEMNATIONI DEI. OMNES ENIM PECCAVERVNT, AC DESTITVNTVR GLORIA DEI, cet. vt profundissimam irrogenitorum hominum miseriam diuinus Apostolus Rom. III, 10, seqq. demonstrat; ad quam cernendam aliquin acutissimi ingenii homines naturaliter cæcutiunt. coll. 1 Cor. II, 6-16. *Sicut igitur per vnum Adamum peccatum in mundum venit, & propter peccatum mors in omnes peruasit: ita etiam, per vnus IESV CHRISTI gratiosam visitationem & merita, in omnes credentes Dei gratia ad vitam & iustificationem redundauit; vt ad Rom. V, laudatus gentium doctor euicit. O beatam i-*  
gitur*

gitur Saluatoris nostri natiuitatem & uisitationem ! Quid est homo, o DEVS! quod recordaris eius; & filius Adami, quod uisitas ipsum! Pf. VIII, 5. Hebr. II, 6.

Restat, vt breuiter adhuc dicamus de *Fine CVIUS*, qui nobis duplici propositione in sequentibus verbis ostenditur; ita enim pergit, & canticum suum finit, Baptista pater: (1) *Ἐπιφάνειαι τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιά* *Davidis καὶ ἠμῶντες*, vt illucescat iis, qui in tenebris & umbra mortis sedent, & (2) *Ἐκκευθῆναι τὰς παδας ἡμῶν εἰς ὁδὸν εἰρήνης*, vt dirigat pedes nostros in viam pacis. Nota omnibus verbi diuini scrutatoribus est mystica tenebrarum & caliginis acceptio, pro erroris, ignorantia & vitiorum significatione; ex quibus & mala conscientia nascitur, & hinc *Ἰλιψὺς καὶ πνευρασία*, siue angustia & angor animi ac metus, Rom. II, 9. omnisque veræ consolationis defectus: quando nimirum peccata reuelantur, & conscientia tandem agnoscit iudicium eorum, vt non, nisi præsentissimum & æternum exitium sibi relictum videat ac subeundum. Quoniam igitur, per modo dicta, fieri non potuit, vt per se ipsum homini corrupto via pacis ac veræ felicitatis innotesceret; non passus est Pater miserationum mortales, sine vlla spe emergendi per tenebras illas inextricabiles vagari; sed Filium suum, ceu solem iustitiæ, Mal. III, 20. ac *Lumen mundi* dedit, Io. I, 4. seqq. c. VIII, 12. vt virtute & verbo ac spiritu suo aperiret oculos eorum, eosque conuerteret a tenebris ad lucem, & a potestate Satanae ad DEVM, vt remissionem peccatorum & sortem inter sanctificatos acciperent per fidem in ipsum, Actor. XXVI, 18. vt nimirum viam consequendæ beatæ immortalitatis non tantum agnoscerent, sed etiam gratia ipsius adiuti pedes suos in illam dirigerent; quæ modum dudum hieropsaltes cecinit: *דרך מוֹתֵךְ אֲרוּךְ כִּי תִרְחִיב לִבִּי* *Viam mandatorum tuorum curram, quum impificaueris cor meum.* Pf. CXIX, 32.

Non patitur instituti breuitas, vt fusius dicamus, quæ forte haud inutiliter adferri potuissent. Sufficiant ergo nunc ea, quæ ex encomiastico carmine Zacharie adduximus, ad agnoscendum diuinum illud Lumen, quo non solum licet nobis tenebras infelicitatis & umbram mortis dispellere; verum etiam pedes nostros dirigere ad ambulandum in via pacis. Itaque ante omnia confirmemus hinc fidem in Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, ex qua pacem erga DEVM habemus, Rom. V, 1. & diuinitus oblata beneficia grata mente & accipiamus & retineamus. Etenim, *Carissimi Ciues*, non durum aut triste nuntium vobis ferimus, sed gaudium magnum vobis omnibus adnuntiamus. Natus enim hodie Bethlehemi, in vrbe Davidis, vobis est Saluator, qui est CHRISTVS, Dominus. Luc.

II, 10. an.

Ioh. 11. *Puer ille natus est nobis, Matth. I. 21. & Filius Dei datus est nobis, Ies. 49. 7.*  
*Nam sicuti pueri participes sunt carnis & sanguinis, sic FILIVS DEI conuenit per*  
*particeps eorundem factus est, ut per mortem suam aboleret eum, qui omnis impe-*  
*rium habet, hoc est diabolus. & liberis redderet, quos quia in eis uoluitis per omni-*  
*vitam obnoxii erant seruituti. Hebr. 11. 14. 15. Tametsi enim liber quis sit ab omni-*  
*bus hostibus & tyrannis in hoc saeculo, & consequatur etiam omnem huius uitae*  
*felicitatem; nihilominus tamen deuinctus adhuc est Sarana; tyranno omnium*  
*crudelissimo, similiter morti & inferno, adeoque extremae interuentioni: nisi per*  
**CHRISTVM**, Dei filium, a peccati reatu ac dominio fuerit liberatus. Io. VIII. 34.  
 -76. *Nec enim ulla alia saluus ratio est, neque aliud nomen sub caelo datum est inter*  
*homines, in quo oporteat nos saluos fieri, quam nomen IESV. Act. 16. 17. Ioh. XIV.*  
 6. Nihil utique ad veram & aeternam felicitatem proderit nobis varia ac multi-  
 plex scientia, nisi vnum hoc necessarium, & eum, quem Pater, ad dandam nobis vi-  
 tam aeternam misit, vere agnoscauius, Io. XVII. 3. Nec poterit etiam omnium re-  
 rum huius saeculi vera esse iucunditas vel utilitas, siquis, ut in peccatis conce-  
 ptus & natus in hunc mundum est, in isdem etiam maneat, & tandem per mor-  
 tem in perpetuas tenebras ingreditur. Io. 11. 18. 36. *Excitate igitur qui dormis,*  
*& surge a mortuis, & illucescet tibi CHRISTVS. Eph. V. 14. Neque enim apud nos*  
*etiam defunt homines, qui, vanis suis cogitationibus inhaerentes, obdurant se*  
*contra manifestam verbi diuini veritatem: non tam de opinionibus suis bene-*  
*meriti, quam de se male. Qui, quum habeant iter rectum, deos sequuntur an-*  
*fractus; & viam planam deserunt, ut per praecipitium labantur: Lucem veram*  
 Io. 1. 9. relinquunt, ut in tenebris caeci & aeternum miserum iaceant, Ies. L. 10. 11.  
 Ut eos etiam taceamus, qui in vanitate mentis suae incedunt, obtenebratam cogi-  
 tationem habentes, & alienati a vita Dei, propter ignorantiam, quae est in ipsis per  
 obduratorem cordis ipsorum. Qui postquam dedoluerunt, sese dedunt proteruiae,  
 ad certatim patranda impuritatem omnem. Vos autem, Dilectissimi Ciues! uos  
 ita didicistis **CHRISTVM**: si modo de eo audiuistis, & per eum edocti estis, (sicut  
 est veritas in **IESV**) deponere, quod ad pristinam conuersationem attinet, veterem  
 illum hominem, qui deceptricibus cupiditatibus corrumpitur; renouari vero didi-  
 cistis spiritu mentis uestrae, & induere nouum illum hominem, qui secundum Deum  
 conditus est, ad iustitiam & sanctimoniam veram. Eph. IV. 17-24. Ad hoc enim  
 gratia illa DEI salutifera illuxit omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegata  
 impietate & mundanis cupiditatibus, sapienter, iuste & pie viam ad in praesenti  
 saeculo, expectantes beatam illam spem, & illustrem illum aduentum gloriae  
 magni illius Dei ac Seruatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro  
 nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum pec-  
 ciliarem, feruide studiosum bonorum operum, **Tir. II. 14. Si quis ergo non a-**  
**gnat Dominum Iesum Christum, esto anathema, Maran-atha,** nam **DOMINVS**  
 nosse uenit. Io. I. 11. *Gratia uero Domini Iesu Christi, & nostra caritas sit*  
*vobiscum omnibus. Amen. 1 Cor. XVI. 22. 23. P. P. in feriis natalitii*  
 clo Idce xxii.


HALAE MAGDEBURGICAE,  
 Typis Georgii Iacobi Lehmanni, Acad. Typogr.

Ta 3011

21

WOLP  
WOLP

Ta 3011  
21



Inches  
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

8

O-RECTOR  
MIAE FRIDERICIANAE  
HENNINGIVS  
DEHMER,  
SIMI REGIS PORVSSIAE CONSILIAR.  
VRIVM PROFESSOR ORDINARIVS,  
VNA CVM  
NCELLARIO ET PROFESSORIBVS  
RELIQVIS  
AD  
ΦΦΑΝΙΑ,  
SIVE  
A NATALITIA  
ESV CHRISTI  
DIGNE CELEBRANDA  
ES ACADEMICOS  
RHVMANITER INVITAT.

h.